

*quedam ciuitas girat
miliaria centum habet
duodecim milia pontium
pro maiori parte de lapi-
dibus*

tinentiam scripturarum per seriem narabimus ordinate secundum quod ego marcus paulo proprijs oculis ipsas vidi primo quidem continebatur in eis quod ciuitas Qinsay in circuitu suo girat miliaria centum tere & habet duodecim milia pontium pro maiori parte de lapidibus. quia aliqui de legnamine sunt constructi sub singulis quorum uel pro maiori parte transiret nauis una sub arcu grandis & magna. per alios vero possent transire minores & nullus miretur si tot sunt ibi pontes. nam ciuitas tota est sita in aquis & circumdata aquis & ideo necesse est ut sint ibi tot pontes ad hoc ut gentes possint per ciuitatem/ quacumque pertransire. Item 43^o continebatur in scripturis quod in ciuitate ista erant duodecim maneries arcium que sunt magis principales & pre alijs maiorem habent curssum. nam alie sunt quamplures. set quelibet istarum duodecim artium habet duodecim mille ypothecas id est duodecim mille domos pro arte qualibet predictarum in singulis quarum domorum siue stationum pro minori manent decem homines ad illas artes exercendas. & in aliquibus sunt xv. in aliquibus xx xxx & xl. nec credatis quod omnes sint magistri set homines qui faciunt precepta magistri & patronis. Et hoc est necessarium quoniam ab ista ciuitate multe alie ciuitates prouincie de necesarijs fulciuntur. In ea sunt tot mercatores & tam diuites & tanta fatiunt mercimonia/ quod nullus quantitatem posset dicere uel narare & omnes magni homines & mulieres & patroni siue ypothecarum magistri nullum opus proprijs manibus operantur set omnes permanent absoluti & nitidi quemadmodum forent principes & barones. Et eorum uxores etiam sunt multum angelice. Sancitum erat itaque per factur regem dicte ciuitatis & prouincie tempore quo regnabat/ quod quilibet deberet exercere artem sui patris & si quis haberet centum milia bysantium oportebat ipsum artem patris exercere. non equidem credatis quod ipsos oporteret proprijs manibus laborare. set homines retinere ut dictum est superius ad dictam artem exercendam. set ad hoc per magnum dominum minime compelluntur nam si homo artifex in tantas creuerit diuicias/ quod artem suam 43^v derelinquere possit & uellit per nullum ad artis exercitium amplius coartatur. Nam magnus can hanc rationem assignat/ si homo quia pauper aliquam artem exercet. nam aliter se non potest de necesarijs sustinere & tempore procedente/ sibi taliter prosperetur fortuna quod absque exercitio sue artis possit suam uitam ducere honoratam/ cur si non vult ad artem exercendam debet compelli incongruum enim & iniustum uideretur/ ut si dij in bonis sibi succedant quod homines debeant contraire/ est etiam in hac ciuitate quidam lacus pulcherimus & magnus girans in circuitu miliaria triginta circum lacum sunt edificata multa pulcra palatia & domus tam bene constructa quod non possent ese melius ordinata que sunt virorum nobilium & magnatum. sunt etiam circum lacum multe abbacie & monasteria ydolorum. Item in medio lacus insule due sunt in quibus sunt constructe palatia